



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio LVIII. De proprietatibus Personarum constitutivis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPV TATIO LVIII.

De proprietatibus Personarum constitutivis.

SECTIO PRIMA.

Denturne in divinis proprietates, & quomodo per eas Persona constituantur.

I.
Certum est in divinis Personis dari proprietates.



DARI in divinis Personis proprietates constans est Theologorum opinio contra Gregorium & Præpositivum: ita S. Thomas hic, q. 40. art. 1. omnesque ejus interpretes, ita ut Magister Senten. in 1. dist. 33. cap. 1. affirmet neminem ausum esse proprietates in Personis negare. Unde hanc Gregorii sententiam Suarez lib. 7. de Trin. cap. 7. num. 2. & Vasquez hic, Disp. 158. cap. 2. temerariam, Molina erroneam, aut errori proximam, Canariensis hæreticam appellat.

II.
Ratio ostenditur dari proprietates personales.

Probatur verò dari hujuscemodi proprietates primò ex modo loquendi Ecclesiæ, quæ in festo SS. Trin. sic canit. *Vi in Personis proprietates, in Essentia unitas, in Majestate adoretur aequalitas.* In Concilio etiam Lateranensi, Cap. *Firmiter de Summâ Trinitate sic habetur: Hac Sancta Trinitas secundum communem Essentiam individua, & secundum Personales proprietates discreta.* Item in Concilio Ephesino, cap. 21. admittuntur *Proprietates distinctivæ Personarum.* Qui etiam loquendi modus à S. Cypriano, S. Damasceno, & aliis ex Patribus usurpatur.

III.
Ratio cur dari necessario debeant proprietates Personales.

Ratio demum est: cum enim fide certum sit, tres divinas Personas realiter inter se distingui, unaquæque proprium sibi aliquid & peculiare habere debet, per quod, & in se constituitur, & distinguatur ab aliis: cum ergo Essentia sit in omnibus eadem, ex eâ sumi nequit fundamentum distinctionis: ergo aliquid aliud in Personis singulis esse debet, ratione cujus sit hæc Persona, non alia, hoc autem est proprietates Personales.

IV.
Dicitur possit Persona divina constitui.

Dices: si in Personis divinis sint proprietates, sequeretur eas ex illis simul cum essentia constitui: hoc autem dici nequit, cum enim constitutio sit quædam compositio, requirit distinctionem, compositio enim est distinctorum unio: ergo Essentia & proprietates distinguuntur realiter, cum constitutio hæc esse debeat realis.

V.
Volunt quidam tantum constitui per rationem.

Ex Thomistis plerique hanc divinæ Personæ constitutionem dicunt tantum esse rationis: ita Cajetanus 1. p. q. 40. art. 2. Torres ibidem, Ferrara 4. contra Gentes, cap. 26. & alii, quos sequitur Vasquez 1. p. disp. 158. cap. 2. num. 8. Molina hic, q. 40. art. 2. disp. 1. & idem affirmare videtur Tannerus 1. p. disp. 4. q. 3. dub. 6. num. 31. Sed contra, nam à parte rei Persona divina constat ex Essentia & Relatione: sic enim in Concilio Florentino sel. 19. loquitur Joannes Theologus, affirmans Personam divinam constare Essentia & proprietate. Deinde passim dicunt Patres divinas Personas, ut constitui, ita distingui

Rejicitur hæc responsio.

proprietatibus: certum autem est eas non tantum distingui ratione: ergo nec solâ ratione constituuntur.

Alii itaque dicunt hanc constitutionem esse realem: ad quam tamen asserunt non requiri distinctionem realem, hæc enim inter Essentiam & Relationem admitti nullo modo potest, sed sufficit, inquit, ad constitutionem realem, ut dicitur, in Patre exempli gratiâ, aliquid ei cum aliis Personis commune, & aliquid ipsi proprium, quod certum est à parte rei, & nemine cogitante reperiri.

Mihi conformiter ad opinionem, quam supra, Disp. 53. tenui de distinctione virtuali, dicendum videtur, hanc Personæ divinæ constitutionem non esse tantum rationis, ob rationes num. 5. allatas, nec proprie esse realem, sed mediâ viâ procedendum, dicique debere esse constitutionem virtuales, sicut est distinctio virtualis inter Relationem & Essentiam: neque hic quiddam urget, quod supra, dum de virtuali distinctione disputatum est, non sit solum.

VI.
Quo sensu dicant aliqui esse constitutionem realem.

VII.
Constitutio divinis Personis dicitur esse potest virtualis.

SECTIO SECUNDA.

Utrum Persona divina constituatur proprietatibus absolutis, an Relationibus, & originibus, seu actibus notionalibus.

NOTANDUM, idem in divinis Personis esse principium constituens, & distinguens, quare petere per quid constituatur Personæ, eadem operâ est petere per quid distinguantur, ut rectè Suarez hic, lib. 7. cap. 4. contra Cajetanum & alios quosdam Thomistas 1. p. q. 36. art. 2. Ferraram lib. 4. contra Gentes, cap. 24. & 26. & Vasquez hic, Disp. 147. cap. 7. num. 36.

Ratio est, ipso factò enim quod Persona aliqua in ultimo suo esse completè constituatur, habet aliquid per quod fit hoc particulare individuum potius quam aliud, ergo habet aliquid sibi proprium, & quod alia Persona non habet; quantum enim hujusmodi aliquid non habet, non est completè & ultimò constituta, neque hæc numero Persona, sed indifferens ut fit vel hæc vel illa, ut in omnibus aliis individuis constat.

Dices, Filius constituitur per Filiationem, per hanc autem non distinguitur à Spiritu Sancto, sed per spirationem activam, ergo non per idem Filius constituitur & distinguitur. Respondetur, hujus difficultatis solutionem ab illa pendere, utrum scilicet, si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, ab illo distingueretur, de quo infra. Pro presenti dico Filium, ad quate sumptum, non includere tantum Filiationem, qua distinguitur à Patre, sed etiam spirationem activam, qua distinguitur

I.
Idem in divinis Personis est principium constituens, & distinguens.

II.
Filius ad quem quæsumptus includit spirationem activam.

III.
Filius ad quem quæsumptus includit spirationem activam.

Complectum Filii constituitur.

guitur à Spiritu Sancto. Sicut ergo per utramque hanc rationem adæquatè distinguitur, etiam adæquatè per utramque constituitur: & ambæ, ut ad distinctionem, ita ad completam illius constitutionem sunt necessaria.

IV. Ad quæstionem itaque in sectionis titulo propositam, affirmant aliqui divinas Personas constitui proprietatibus absolutis: ita Scotus in 1. dist. 27. q. 1. pro eadem citans Joannem de Ripa. Eandem sententiam amplectitur P. Salmeron tom. 2. tract. 12. ad 4. & alii nonnulli.

V. Contraria tamen sententia, Personas scilicet divinas non absolutas, sed Relationibus, ultimò constitui & distingui, multò est communior: eam tenet S. Thomas 1. p. q. 40. art. 2. & 3. Halensis 1. p. q. 65. num. 3. & 4. Gabriel, Capreolus, Suarez lib. 7. de Trin. cap. 6. Ferrara 4. contra Gentes, cap. 26. Granada 1. p. tract. 12. disp. 3. sect. 3. Tannerushic, Disp. 4. q. 3. dub. 6. num. 15. Arriaga 1. p. disp. 51. sect. 3. & alii.

VI. Probat inprimis ex Concilio Tolet. II. ubi sic habetur: *In Relatione, Personarum numerus cernitur, & hoc solo numerum insinuat, quod ad invicem sunt.* Idem habetur in Concilio Florentino, & Wormatiensi, passimque affirmant Sancti Patres: sic S. Augustinus lib. 5. de Trin. cap. 5. docet, *In Deo non esse nisi substantiam, id est Essentiam, & Relationem; & quicquid ad se, & non ad aliud dicitur, ad Essentiam pertinere.* Idem affirmat S. Cyrillus Alexandrinus, S. Damascenus, S. Anselmus, & alii. Tandem hoc idem ostenditur ex Principio illo à Theologis communiter in hac materia recepto: *In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat Relationis oppositio.*

VII. Hanc itaque sententiam omnino tenendam existimo: ad ejus tamen explicationem noto idem planè ex parte rei conceptæ esse *Processiones, Originem, Personalitates, & Relationes*, nec ullam inter generationem activam & Relationem Paternitatis, aut inter generationem passivam & Relationem Filiationis dari virtuales distinctionem. Cum ergo hæc constitutio, ut sectione præcedente n. 7. dixi, sit virtualis, idem planè est ex parte rei conceptæ Personas constitui originibus, seu actibus notionalibus, ut vult S. Bonaventura in 1. dist. 26. art. unico, q. 3. five Relationibus, idem quippe omnino sunt, ut dixi, non realiter tantum, sed etiam virtualiter: unde ex parte objecti, non solum esse, sed ne concipi quidem sine sese invicem Originem & Relationes possunt: ita Molina 1. p. q. 4. art. 2. disp. 2. & Valentia hinc, Disp. 2. q. 14. punct. 2. dicentes, *Divinas Personas, nec solâ origine, nec Relatione solâ, sed utraq; constitui & distingui: eandem sententiam tenet P. Arriaga hinc, disp. 51. sect. 3. & alii.* Hæc omnia magis constabunt ex sectione sequente.

SECTIO TERTIA.

Objectiones contendentes Personas divinas non constitui Relationibus, sed solis originibus.

I. **O**BJICITUR primò in creatis relationes rem cuius sunt relationes non constituunt, sed ei jam constituta adveniunt: idem ergo ratione nostrâ dicendum est in divinis. Negatur tamen consequentia: relationes enim creatæ sunt accidentia, qua de causâ nihil vel constituere vel com-

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

plere possunt in esse substantiali, quod tamen Relationes divinæ, utpote substantiales, præstare possunt.

II. Objicitur secundo: relatio supponit fundamentum, ergo hæc Relationes supponere debent Personas, non eas constituere, nec distinguere. Respondetur, antecedens, ne quidem in creatis esse verum, nisi de relationibus prædicamentali- bus; transcendentales enim non supponunt, sed sunt ipsum fundamentum: cum ergo, ut supra, Disp. 52. sect. 1. diximus, Relationes in divinis sint transcendentales, non supponunt Personas tanquam fundamentum, sed eas constituunt.

III. Objicitur tertio: Relatio terminatur ad absolutum, non ad relativum. Item ad Relationem non datur actio. Respondetur hæc vera tantum esse in relationibus prædicamentali- bus, transcendentales enim sese invicem respiciunt, ut materia formam respicit, & forma materiam, sicque terminatur ad respectivum, & ad eas datur per se actio.

IV. Objicitur quarto: ad actionem præsupponi debet suppositum in suo esse constitutum, prius enim est esse, quam operari. Respondetur, in creatis quidem ita esse, quia res create non sunt necessario actuales operationes: in divinis autem, ubi tota distinctio provenit à Relationibus, que ut supra Disp. 50. sect. 6. num. 1. dixi, sunt actiones, & sect. præcedente ostendi eas nec ratione ex parte rei conceptæ distingui ab originibus, non potest esse prius esse quam operari, cum per ipsam operationem constituantur. Unde nulla inter Personas divinas est prioritas, nisi tantum originis.

V. Objicitur quinto: Relatio non refert seipsam, sed aliquid aliud, ergo proprietatem aliquam absolutam. Respondetur Relationem divinam non referre seipsam solam, non tamen refert quidquam absolutum distinctum ab essentiâ, sed refert totam Personam, à qua nimirum distinguitur virtualiter inadæquatè.

VI. Objicitur sexto: Pater æternus, prius ratione quam generat, est Persona completa, ergo nec per generationem formaliter, nec etiam per relationem constituitur, utpote quæ in posteriori signo intelliguntur accedere. Respondetur negando antecedens, Pater enim, ne quidem ratione prius existit, quam generet, sicque & quam referatur ad Filium, cum, ut sectione præcedente dixi, idem formaliter sit generare & referri.

VII. Quare probabilius etiam mihi videtur, ne quidem dum per species rerum creaturarum concipiuntur Personæ, posse dici eas constitui per origines, aut personalitates, sed per relationes. Ratio est, Relationes siquidem divinæ, ut sæpe dixi, non sunt sicut Relationes prædicamentales, quæ nimirum rei jam constitutæ advenire intelliguntur, sed sunt relationes transcendentales, & ut tales concipi debent; unde nihil in iis prius hac formalitate relationis cum veritate apprehendi potest, per quod Personæ distinguantur.

VIII. Confirmatur: si enim divinas Personas per aliquid, in quo formaliter non involvitur relatio; concipiamus distingui, erunt ratione nostrâ in Deo tria absoluta, realiter distincta; quod falsum est, & consequenter in divinis concipi non debet: quamvis enim concipere inadæquatè in Deo possimus id quod in eo est, non tamen fas est in illo fingere, quod revera in ipso non est, alioqui si via semel aperiatu- r fictionibus, nihil certi in divinis habebimus, sed suo quisque arbitratu Deum finget, eique quidvis appinget pro libito.

Aa 2

DISPV-

II. Relationes divina non supponunt fundamentum, sed constituunt.

III. Relationes divina terminantur ad relativum.

IV. In Personis divinis non est prius esse, quam operari.

V. Relatio divina refert totam Personam.

VI. Pater non est Persona completa prius ratione, quam generet.

VII. Etiam per species creatas concipi debent Personæ constitui per relationes.

VIII. Alioqui erunt in divinis tria absoluta, realiter distincta.

Nec solis originibus, nec Relationibus solis constituuntur Persona.

IV. Affertur aliqui Personas constitui proprietatibus absolutis.

V. Persona divina constituuntur Relationibus.

VI. Probatur divinas Personas distingui Relationibus.

S. Augustinus.

VII. Idem ex parte objecti est constitui Relationibus & originibus.